





12509

N

1686, 33  
22

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO MORALIS  
DE

OBLIGATIONE  
POSSIBILI  
AD REM IMPOSSIBILEM

*Quam*

CONSENTIENTE

AMPLISSIMA FACULTATE PHI-  
LOSOPHICA,

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO *Ständer*/  
LAUDATÆ FACULT. ADJUNCTO,

*examini doctorum submittet*

Auctor & Respondens

IOHANN. IOACHIM IACOBI,  
Brunsvigas Saxo.

IN FLORENTISSIMA SALANA

Ad d. Mart. MDCCLXXXVI.

---

J E N Æ,

Litteris NISIANIS.



D. S. W.  
DISSERTATIO MORALIS

DE  
OBLIGATIONE

POSSIBILI

AD REM IMPOSSIBILEM

CONSENTIENS

AMPLISSIMA FACULTATE P.H.

PHYSICAE

PRÆTORIS

M. CHRISTOPHORO STÄNDEN

LAUDATE FACILIT. ADJUNCTO

examinat. & approbavit

Doctor & Respondens

JOHANN. IOACHIM JACOBI

Prætoris Saxo.

IN FLORENTISSIMA URBE

MDCCXXXV

J. B. W. A.

Licentis Nisiensis



§. I.



ore multorum est, quod ponderis multum, inque Practicis imprimis probandi nervum habere creditur: *Ad impossibile nulla datur obligatio.* Et hoc mantelio ista quandoque solent palliari, ad quæ se id non extendit, ac asylum iis quæri, quibus non debebat.

§. II. Quanquam autem suo modo verissimum sit hoc effatum, quod *Philosophorum* æque ac *ſcitorũ* consensus dudum comprobavit; nude tamen & crude acceptum omne ferre punctum non potest. Quo plura enim in contrarium suppetunt, quæ isthanc thesin universaliter ac absolute intellectam feriunt, hoc magis universalitas ejus vacillat, firmoque stare talo nescit. Equidem *Andrii* quondam, ceu legere est apud *Herodotum in Urania*, cum nihil haberent, quod firmissimi præsidii loco *Themistocli* opponerent, ad ipsos super pecunia legato, *duas magnas Deas, inopiam & impossibilitatem*, ipsi objiciebant, quibuscum, si vellet, res foret: At ille in contrarium duos diversos alienosque adducebat *Deos, svasionem & violentiam*, ut, nisi svadendo impetraret, vi eriperet. Offenderimus non raro, qui, quo excusatius præclara multa intermittant, *impossibilitatem* jugiter, quæ sapius nulla est, aut proprio vitio minimum contracta, crepant, creduntque, suis blanditi cupiditatibus, ad tale quid nullam omnino dari, nec dari posse obligationem. Operæ igitur pretium facturos nos speramus, si, quid veri habeat ista sententia, & quousque se porrigat, præsentis *Dissertatione* diduxerimus. Deus faxit feliciter!

§. III

§. III. Placet rem ordiri ab ovo, atque interiora causæ adyta penetrare. Igitur, quo de statu quæstionis rectius tenendo satis constet, primus in vocabulis enucleandis labor erit. Quippe nunc & alias animo nobis tenacissimo hæret illud Aristotelis: *Vocabula rerum accurate distinguenda sunt, ne res ipsas confundas* 1. *Soph. Elench. c. 6.* Sunt enim vocabula signa rerum, quarum loco, cum ipsæ res in colloquium & disputationem adduci non possint, subrogantur, sicut in locum nummorum aureorum calculos substituere gaudent mercatores.

§. IV. *Possibile*, à quo descendit *impossibile*, ex *possum* est, sive *potis sum*, unde integrum *potis sum* etiam coaluisse facile crediderim, quod, adnotante *Lipso, lib. r var. lect. c. 14.* *Lucillo, Ennio, Lucretio* usurpatum legitur. Et quidem vox ista: *Impossibile*, civitate latina nunquam donata videtur, quippe, teste *Bermanno, elegantiam obfuscatur, & si veterum latinorum elegantiam, juxtaque αἰαλοζία metiamur, vix usurpatur, nisi docendæ causa.* Qua fini forte placuit potius *Ciceroni* vocem græcam mutuari, quando in *Epist. I. ad Tit. Pomp. Atticum* scribit: *De iis, qui nunc petunt, Cesar certus putatur, Thermus cum Silano contendere existimatur; qui sic inopes & ab amicis & existimatione sunt, ut mihi videatur non esse ἀδύνατον Curium obducere.* *Ciceronem* secuti *La-beo & Julianus* latinam vocem fugerunt, & græca deletati sunt. *Quintilianus* contra & alii non abhorruerunt à voce latina, potissimum ubi in docendo fuerint occupati. Nobis igitur dicam minime scriptum iri, sed manes *Ciceronianos* in eo facile condonatueros, persuasimus, si pariter doctrinæ gratia voce isthac latina usi fuerimus.

§. V. Dicitur autem *impossibile* omne illud,  
quod

quod non cadit sub aliquam potentiam. Cumque, (ut alias distinctiones voluntario prætermittamus silentio) potentia sit vel *physica*, vel *moralis*; quarum illa *divina* salutatur, seu vis agendi in genere naturæ, hæc vero *æ-*  
*gria*, licentia & potestas agendi in genere morum; igitur & *impossibile* vel *physicum* dicitur, quod sc. tale est in ordine ad potentiam physicam, estque id, quod in nostris viribus non est positum; vel *impossibile morale*, quod tale est in ordine ad potentiam moralem, estque idem quod turpe ac illicitum. Exempli gratia, inermis viator ab injusto latrone circumventus ultima pati cogitur. Hic impossibile physice viatori erat resistere invasori, viribus enim resistendi imbellis ac infirmus destituebatur; at moraliter non erat eidem impossibile, integrum enim ipsi erat, injustum invasorem, modo valuisset id effectui dare, justissimo titulo occidere. Contra latroni moraliter erat impossibile, viatorem invadere, physice non item. Hisce acceptionibus favet, quod & ipsum *posse* significatus eosdem obtineat, ceu exemplis tum e scriptura sacra, tum e jure petitis illustrat *VIR maxime Reverendus juxta ac celebratissimus Dn. D. Veltbem in Institut. Metaphys. p. 677. seqq.* qui videatur. Cæterum huic rei facile majorem accendere lucem datur. Quemadmodum enim id, quod physice non possumus, recte impossibile dicitur: ita quod illicitum nobis est, moraliter nobis impossibile est: Nam quod licite non possumus, morali æstimatione certe non possumus, adeoque impossibile censendum eatenus venit. Notationem adhuc meretur, quod sæpe occurrat *physice impossibile physica æstimatione*, quod *moralis ratione physice non est impossibile*. Exempli causa: Conduxit quis equum ab altero, ac jurato, & sine omni exceptione promisit, i-

pius equi restitutionem, promisit etiam jurato, se praestitutum quoque casum fortuitum; jam faciamus, equum periisse nulla neque locatoris culpa, neque conductoris, sane moraliter tunc possibile, imo debitum est, promisso, & eo quidem jurato, stare. At si rem physica ratione aestimemus, impossibile est, eundem equum vivum reddere; rursus vero, si id morali ratione pensitemus, manet res morali ratione physice possibilis; morali enim ratione bos quoque vel pecunia fit quasi equus, si tanti valoris bos aut pecunia locatori reddatur, quanti equus aestimabatur; siquidem justitia commutativa, quoties ad idem pertingere non potest, fertur ad tantundem, quod idem est morali aestimatione, & sic pulchra quadam & amicabili *μεταμορφωσις* defectum istum supplere gestit. Potest autem, quod ulterius tenendum, aliquid *moraliter* esse *physice impossibile*, quod *moraliter* non erat *impossibile*, i. e. fieri licite potuisset, si modo fieri potuisset. Ita, qui voluntaria caede innocentis hominis manus suas commaculavit; isti damnum reparare moraliter non est impossibile, seu non est illicitum; quoniam tamen damnum reparari nequit; manet ipsi, morali licet ratione, physice impossibile. Huc referre licet, quod *Ps. 49. v. 8.* habetur. E contrario potest aliquid esse & *moraliter physice possibile*, & *moraliter possibile*, ut tamen *physica aestimatione physice* maneat *impossibile*, sicut & *moraliter physice possibile*, & *moraliter possibile* conductori isti est, equum, qui perierat, reddere, physica nihilominus aestimatione physice manet impossibile, istum equum, quippe qui penitus expiravit, eundem numero reddere.

§. VI. Diducere hanc rem juvat prolixiori filo. Igitur *impossibile physice* vel est *simpliciter ac omnimodo*



modo tale, (idque inprimis morali pariter ac physica æstimatione,) quod nulla ratione, nulliusque intuitu viribus alicujus respondet; vel *secundum quid*, subque *certa hypothesis*, quod ob certam suppositionem, & ex accidenti vires alicujus superat, exceditque. Sic absolute, & omni modo erat physice impossibile mero homini, omnique creaturæ, λύτρον redemptionis persolvere, inque gratiam apud Deum lapsos homines asserere. *Non enim fratrem redimendo redimere poterat vir, nec dare Deo pretium redemptionis ejus, ps. 49. v. 8. id est, ceu commentatur Flacius super hunc locum, non poterat dato pretio Deo liberare eum, ne moreretur, quasi persuaso magnitudine pretii Deo, ut illi parceret, & pateretur, eum diutius, aut semper vivere: Sicut in bello interficiendi orant victorem, magna pollicendo, ut sibi parcat, in clav. script. sub voce redimo.* Sicut autem mero homini non id erat possibile, ita possibile vero homini, Christo θεανθρωπῶς erat, qui pro peccatis mundi justitiæ Dei infinitæ plenissime ac planissime satisfecit. Alio exemplo rem præsentem declaremus: Ita simpliciter ac omni modo physice impossibile Magis Chaldæorum erat, Regi Babyloniæ somnium, quod ipsi exciderat, in memoriam revocare, & revocatum interpretari. Nec enim καρδιολογῶσαι erant, nec secreta cordium æstimatione sua pensare poterant. Vid. *Dan. 2. v. 10. seqq. item v. 27. seqq.* Contra vero physice secundum quid impossibile *Samsoni* erat ex manibus *Philistæorum* evadere, postquam sua culpa quadante- nus pristinis viribus miraculosis à Deo ipsi concessis carebat, blanditiisque *Delila*, ac iteratis precibus inductus edisseruerat, in quonam tam invictum ejus robur situm hætenus fuisset, *jud. 16. v. 16. seqq.* Non absimili modo

do

do impossibile physice, sed secundum quid, injusto *Oecono-*  
*nomo* erat rationem reddere dispensationis suæ, cum sua  
culpa bona Domini dilapidasset, indulgendo genio, &  
curam rei familiaris omnem seponendo, *Luc. 16. v. 5. seqq.*

§. VII. At *moraliter quoque impossibile* non eo-  
dem modo dicitur. Sumitur enim *moraliter impossi-*  
*bile* (alias *turpe ac illicitum*) prout dicit ordinem vel  
ad legem, pro decreto superioris sumtam; qua ratione  
adversatur vel legi positivæ Creatoris, vel legi positivæ  
creaturæ; sicut certe nonnulla more civitatis turpia  
sunt, quæ naturaliter non item, & more civitatis lici-  
ta, quæ naturaliter minime, conf. *H. Grot. de j. B. & P.*  
*lib. 2. c. 2. §. 17.* vel sumitur, prout dicit ordinem ad le-  
gem pro dictamine rectæ rationis acceptam; quo sensu  
dantur etiam nonnulla respectu Dei moraliter impossi-  
bilia; siquidem e. g. in promisso & juramento suo *ψεό-*  
*σαδάς τόν θεόν* (spiritus S. *ἀδύνατον*) pronunciat, quippe per-  
fectionibus Dei moralibus repugnans, *Hebr. 6. v. 18.*  
Est vero alias vel per se ac directe illicitum quid, seu di-  
recte repugnans legi, sive naturali, sive voluntariæ ac po-  
sitivæ; vel per accidens illicitum, quatenus illicitum ac  
impossibile est, dum majus bonum impedit; e. g. quando  
quis abjurat fore clericum, habiturum hunc vel istum  
mensæ aut tecti socium, huic vel isti bene facturum, aut  
quicumque ab altero ad mortem usque accepturum. Vid.  
*Grot. lib. 2. cap. 13. §. 7.* Rursus datur vel *maxime ac pri-*  
*mario seu absolute & simpliciter impossibile moraliter,*  
quatenus intrinsece turpe est, & legi naturali (quæ abso-  
lute lex vocatur) repugnat; vel *secundario, & per extrin-*  
*secam denominationem impossibile moraliter,* quatenus re-  
pugnat legi voluntariæ creaturæ, justæ tamen. Exempli  
causa, absolute impossibile moraliter est, cadere pro-  
missio,

misso, aut juramento, homicidium, *ἀντιχειρῶν* committere, & id genus alia: Contra gladium incedere, quando magistratus tale quid prohibuerat, est impossibile moraliter, sed secundo, in quantum repugnat voluntariae legi, cui tamē, utpote de re non illicita disponenti, jus naturae obsequium praestandum praescribit.

§. VIII. Dispiciamus vero ex parte altera de eo, quid sibi velit vox *obligationis*? Nimirum *obligare ac obligatio vinculum* aliquod notat. Quo referunt illud *Trogii*: *Cyrene condita fuit ab Aristaeo, cui nomen Battos, propter linguae obligationem, i.e. lingua vinculum. 13. 7. 1. Obligari* proinde dicitur, si quis fidelitatis & subjectionis vinculo alicui obstringitur, quod solvere ipsi non est integrum. Creditur originem inde traxisse, quod sicut alia multa nomina juris, in agris hoc nomen invenerit, inter segetum scilicet manipulos, quos rustici stipulis in morem nodi contortis adstringere ac obligare solent; unde similiter stipulatio putatur dicta. Vid. *Becmannus*. Quemadmodum autem *obligatio* dicit vinculum, seu uno verbo, necessitatem moralem vivendi secundum legem; ita vel pro actu, vel pro statu sumi potest: Illo modo datur, quando vinculum aliquod, seu necessitas in genere morum alicui inducitur ad actionem aliquam committendam vel omittendam; vel ad vivendum secundum legem aliquam: Hoc modo datur, quando, & quamdiu talismodi vinculum morale ac necessitas in genere morum alicui incumbit.

§. IX. Porro necessitas ista in genere morum, quam importat *obligatio*, determinat agens liberum ad agendum unum saltem oppositorum, denegata ad utrumlibet libertate morali. Exempli gratia, consentit aliquis libere in matrimonium cum aliqua persona con-

B

trahen-

trahendum, hoc libertatis erat, & licitum quid ; postquam vero consensu libero, quantum in ipso est, causa matrimonii, consummati in primis, exstitit, jam non amplius penes ipsum est, utrum velit, nec ne, debita *ἡ δούλεια* uxori præstare, sed quod primo licitum saltem erat, jam fit debitum, & quod antea res fuerat libertatis, jam, quia in ipsum cecidit *obligatio*, factum est necessitatis. Eleganter hoc expresit *Valentinianus Imperator*, quando militibus postulantes, quod ipsi non probabatur, responsi loco reposuisse fertur: *Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites! At postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi, quæ faciendæ sunt, cogitare, Vid. iterum venerandū Dn. D. Veltbem, Præceptorem ac Patrum nostrum observantissime colendum pag. 685. Institut. Metaphys.* Cæterum talismodi necessitas moralis, quæ moralem libertatem excludit, vel est necessitas moralis commissionis; qua ratione obligati sumus ad obsequium præceptis juris naturalis affirmativis præstandum, qualia sunt: *Cole Deum, ama parentes, &c.* vel necessitas moralis omissionis, qua ratione obligamur ad obedientiam, præceptis juris naturalis negativis debitam, qualia sunt: *ne homicidium patrato, ne furtum committito, ne promisso cadito &c.* Obiter addimus, quod nulla possit dari omisio in genere morum necessaria, quæ non supponat aliquam commissionem, seu actum elicitem voluntatis, à quo procedat; siquidem alias talis omisio nuda nihil voluntarii, & consequenter nihil plane moralitatis diceret.

§. X. Quamquam autem necessitas moralis (sive commissionis, sive omissionis necessitatem intellexeris)

ris)

ris) omnem deneget libertatem moralem, cum qua obligatio stare nequit, necessario tamen supponit libertatem physicam, ac necessitatem physicam omnino excludit. Ratio in promptu adest. Actio enim in genere morum (complectitur autem actio, quantum ad praesens, etiam omissionem actus) semper significat actionem humanam, actionem scilicet liberam, quae ab animo pendet, i. e. quae à libero ejus, cujus actio dicitur, arbitrio procedit. Hinc palam est, quod in bruta, utpote rationis ac libertatis expertia, nulla cadat obligatio, siue necessitas in genere morum, nec quicquam, quod modo-cunque assignaverint, ipsis vel ad culpam, vel ad poenam, proprie loquendo, imputari possit. Ad bruta quaedantenus accedunt hoc in passu isti homines, qui *ratio* quidem rationis habent, *ratio* non habent.

§. XI. Dispersi alias solet *obligatio in naturalem*, ac eam, quae originem trahit ex voluntate imperium habentis, quae talis. Et quidem vel resultat tantum talismodi obligatio ex natura actus, vel tantum ex voluntate superioris quae talis, vel ex natura actus & voluntate superioris simul. Extra controversiam enim ponimus, posse obligationi naturali aliam, ex voluntate superioris quae talis ortam superinduci, quae tamen sit obligatio minoris gradus, ita, ut qui peccet contra id, quod lege naturali pariter ac positiva ipsi prohibitum erat, peccatum congeminet, non tantum malum committendo, utpote legi naturali repugnans, verum etiam veritum, utpote quod superior quae talis prohibuerat. Magis autem arduum nobis, obligationem ita distinguere, ut dicamus, aliam effectum esse juris naturalis, aliam effectum esse legis positivae, hujusque rursus siue divinae, siue humanae. Nihil dicamus de obligatione, quae effectus est juris gentium voluntarii,

*luntarii*, atque ex libero arbitrio gentium qua talium, nixo inevitabili necessitate civili, aut insigni utilitate ingentes redundante, refutat; qua ratione v. g. necessitas quædam moralis datur, ut persona legati sancta & inviolabilis ab omnibus habeatur, item, ut præscriptione quæsitum diversæ genti, aut diversæ gentis rectori vel etiam subdito relinquatur; quo jure nixus *jephthes* respondebat *Ammonitis jud. 11. v. 26.* Nam ut tale quid servetur, omnium interest. Ut sicco etiam pede prætereamus istam obligationem, quam quisque sibi ipse inducit, e. c. quando sibi proponit hoc vel illud, ut alteri præstandum, simulque vult, ut, si animum mutet, transgressor juris naturæ habeatur; ubi rursus vel ita se obligat, ut alteri jus concedat exigendi talem obligationem, per vim, seu alio modo; vel ita, ut alteri nullum jus concedat obligationem exigendi. Obligatio, qua pater filium, item Dominus servum tenet obstrictum, ex superioribus intelligi potest; quippe ex superioritate ac jure, quod parenti in filium, Dominoque in servum quæsitum est, adæoque voluntate superioris, itidem venit æstimanda.

§. XII. Si quis avet varias *obligationis causas* penitus pensitare, istæ pro varietate obligationis variæ assignari debent. Et primo quidem *obligationis, quæ effectus est legis naturalis, causa efficiens* non censeri debet præcise voluntas superioris; siquidem obligatio talis ex natura actus, intrinseca ratione ac per se moraliter boni vel mali, resultat, atque in ipsa intrinseca moralitate actus per rationem cognita, ut in se est, fundatur. *Jus enim natura est; cujus obligatio oritur ex natura rei, de qua est præceptum, & non ex arbitrio præcipientis: Et quia res eandem naturam retinet apud omnes, idcirco naturale jus eandem quoque vim apud omnes habet. Quo loco accipe*  
egre-

egregium hoc discrimen inter jus naturale ac positivum :  
 Quod obligatio juris naturalis oritur a natura objecti, in-  
 deq; se diffundit in preceptum. Ea vero de causa dici consue-  
 vit, ea, quae sunt juris naturalis, prohibita esse, quia mala, &  
 non ideo mala, quia prohibita. Similiter in bonis iussa esse,  
 quia bona, & necessaria, ut fiant, & nõ ideo esse bona neces-  
 sariaq; ut fiant, quia iussa. E contrario vero obligatio juris  
 positivi oritur a precepto & voluntate precipientis, in-  
 deq; derivatur in Objectum verba sunt; Ludov. Molina de  
 just. & jur. Tom. 1. tr. 1. disp. 4. n. 3. Objectum est actus sua na-  
 tura & intrinseca ratione moralis, h. e. per se honestus vel  
 turpis. Subiectum est agens liberum, adeoque intellectu &  
 voluntate praeditum. Voluntas enim, effa um est Mo-  
 ralistarum, distinguit recte & male facta; solaque volun-  
 tas est regula & principium moralitatis. Finis est per-  
 fectionis moralis agentis rationalis, qua talis, seu honestas &  
 bonitas in genere morum, quibus agens liberum perfici  
 potest ac debet.

§. XIII. Obligationis, qua effectus est legis posi-  
 tive divinae, causa efficiens Deus est, utpote jus & pot-  
 estatem supereminentem super omnes obtinens, ad-  
 eoque potestate sua summa & voluntate sanctissima  
 homines ad obsequendum sibi obstringens. Causa for-  
 malis igitur est voluntas ejus cognita, inque primis ver-  
 bo ipsius, tanquam signo omni exceptione maiori, de-  
 clarata. Objectum est omne illud, quod tanquam fa-  
 ciendum aut fugiendum determinat. Subiectum est per-  
 sona (sermo habetur in primis de humana persona) ea-  
 que quondam erat, ratione scilicet ceremonialis & fo-  
 rensis legis, certi populi, ad certum tempus locumque  
 restricta. Quod legem Dei attingit in decalogo compre-  
 hensam, ista suo modo coincidit cum ipso jure natu-

ra; quanquam non omne jus naturæ sit expressum decalogi præceptum, nec omne præceptum decalogi sit merum jus naturæ: quippe jus naturæ & decalogus se habent ut termini excedentes & excessi, si Metaphysicorum stylo uti liceat. Vid. *Dn. D. Velthem Tab. memoriales mor. Tab. 2. qu. 7. Finis est perfectio hominis, & quasi conformatio cum Deo, quantum in hac infirmitate adspirare licet.*

§. XIV. *Obligationis, quæ effectus est legis positivæ humanæ, causa efficiens est superior, quatenus majestatem habet, eamque exercet, ubi obtinet suo modo illud:*

*Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

*Subiectum est inferior quæ talis, qui in conscientia sua obligari potest, cui præter obsequii gloriam nihil est relictum. Objectum est *ὡς ἰμὶ πὶ μὲν* aliquid natura indifferens, quod ab initio nihil refert, an sic vel aliter fiat; quando enim nonnunquam superior præscribit intrinseca ratione justa, prohibetque injusta, tum obligationi, quæ ex natura actus jam tum resultaverat, nova superadditur obligatio, ex lege positiva suborta, quæ minoris tamen gradus est, atque prior obligatio. Vid. *Thef. 11. Forma est voluntas superioris declarata signo satis idoneo. Finis est salus Reipublicæ; Reipubl. quippe velut anima est ordo, ejus, qui regit, & eorum, qui reguntur; subditorum ergo est regi, imperantis regere, ac eatenus præscriptis decretisque suis in officio continere.**

§. XV. Non possumus, quin paucis hoc loco notemus errorem illorum, qui negant, superiorem qua talem etiam legibus suis justis, quæ nullo modo contrariantur naturali aut divinæ legi subditum in conscientia,



scientia obligare posse. Ita inter alios hanc opinionem fovet *Calvinus*, *lib. 3. Instit. c. 19.* Dicit enim, conscientiam ad solum Deum, atque ad forum spirituale spectare, adeoque Magistratum, penes quem est regimen tantum externum, conscientiam suis legibus non posse obligare. Verum ad hoc responsio in promptu est. Aut enim, quando *Calvinus* ait, conscientiam ad solum Deum spectare, eique soli subjectam esse, id ita intelligit, solum Deum intueri posse conscientiam, & occulta cordis cogitata judicare; qua ratione assertum est verissimum; sed negatur consequentia, quando inde colligit, Magistratum secularem suis legibus hominis conscientiam obligare non posse: Quando enim homo agit contra leges justas a Magistratu præscriptas, peccat omnino contra conscientiam; ergo in conscientia prius obligatus fuerat hisce legibus; cum alias non potuisset peccare contra conscientiam, transgressor ipsarum factus. Aut *Calvinus* intelligit assertum suum hoc modo: Conscientia ad solum Deum spectat, i.e. soli Deo conscientia est subjecta, ut ipsam suis tantum legibus obligare possit: qua ratione petit id, quod in principio; hoc enim est *κενὸς πνεύματος*. An solius Dei non item Magistratus sit conscientiam obligare? Respondet *Calvinus*: Solius Dei est conscientiam obligare. Cur? quia soli Deo conscientia est subjecta, ut ipsam obligare possit, seu, quia solus Deus conscientiam obligare potest, de quo tamen quæstio erat. Urget quidem *Calvinus*, Magistratum non posse de conscientia judicare, ergo nec eandem posse legibus suis obligare. At nulla est consequentia. Ut enim quis obliget alterum per leges in conscientia, non requiritur, ut de conscientia alterius judicet; imo vero sufficit, si à Deo habeat potestatem

estatem ferendi leges, quas si alter transgrediatur, p-  
 cet contra conscientia dictamen, quod praescribit ipsi,  
 talibus legibus, utpote non injustis, omnino deberi ob-  
 sequium.

§. XVI. *Obligationis, quae originem ducit ex jure  
 latius patenti, seu jure gentium,* (quod ex gentium qua-  
 taliam omnium aut multarum voluntate vim obligan-  
 di accipit,) itemque *obligationis, quae originem ducit  
 ex jure arctiori* (quod a potestate, quae civitati praest,  
 non venit, sed a potestate, quae minori societati praest,  
 e. g. dominica, patria potestate, qua tali oritur,) qua-  
 nam assignandae causae veniant, ex haecenus dictis non  
 potest non sua luceradiare. Quippe sicut gentes omnes  
 aut multae simul sumtae respectu unius vel alterius gentis;  
 itemq; respectu liberorum pater & dominus respectu servi  
 suo modo jus superioritatis omnino dicunt; ita etiam il-  
 lis voluntate sua cognita necessitatem quandam in ge-  
 nere morum inducere possunt; non secus ferme ac ibi fie-  
 ri solet, ubi obligationi civili locus datur. Itaque nullius  
 negotii erit, hanc, quam diximus, obligationem, ejusque  
 causas secundum illam & illius causas mutatis mutandis  
 aestimare. Denique ista obligatio, quam quis sibi ipsi pro-  
 pria sua voluntate inducit, pari modo ex allatis intel-  
 ligi non nequit. Verbi gratia, alter alteri liberrima  
 voluntate promittit, daturum ipsi decem aureos; heic  
 sane promissor, postquam promissario voluntatem suam  
 satis idoneo signo manifestavit, renunciando simul ju-  
 ri mutandi voluntatem, tenetur in conscientia sua isto  
 promisso stare, imo, ni steterit, transgressor legis na-  
 turae censendus est; quippe tunc jure isto pessime uti-  
 tur, cui non poterat uti, quippe cui pridem sciens ac  
 volens renunciaverat.

§. XVII

§. XVII. Facillimum, nunc hisce suppositis, evadit edifferere quomodo ad *impossibile non detur obligatio? quomodo detur?* Nimirum, ut aliquot assertionibus animi sensa exprimamus, liquet primo, quod ad *impossibile moraliter, quod tale est in ordine ad legem naturæ, pro dictamine rectæ rationis sumtam, nulla detur obligatio, i. e. necessitas moralis commisionis.* Sic cadere promisso, juramento, est dicto modo moraliter impossibile; talis actus ergo minime gentium homini ut necessario committendus incumbere potest. Ratio facile occurrit. Alias enim hujusmodi quid simul esset turpe, seu moraliter impossibile, quia naturali lege esset prohibitum, & simul non esset turpe, seu moraliter impossibile, quia obligatio sive necessitas moralis daretur ad tale quid committendum. Quod enim debitum est, committendum necessario est, omnino igitur erit licitum, ergo non erit illicitum, ergo nec moraliter impossibile. Accedit, quod impossibile moraliter in ordine ad jus naturæ turpitudinem intrinsecam & resultantem ex natura actus dicit, nullo modo itaque potest ut debitum vel faciendum respici, quamdiu iste actus talis speciei actus manet. Quid? quod agens intellectu ac voluntate præditum non potest aliter judicare, quam id ipsum turpe esse, ac ideo averſandum; quomodo ergo in conscientia talis agentis locus esset obligationi? Quin imo si daretur obligatio ad turpe & absolute illicitum, obligaretur agens morale ad id, quod ipsius perfectioni morali non potest non e diametro repugnare. Igitur, ut exemplo rem illustremus, si vel maxime aliquis promississet id, quod sua natura turpe est, non tenetur tamen id effectui dare, quia talis promissio erat de re impossibili ac illicita, eoque & ipsa illicita. Exempli gratia.:

C

Pro.

Promiserat Hippolytus Phædra, & quidem jurato promiserat, se facturum, quod peteret ; ipsa tamen foemina propudiosa incestum petente, recte negavit, se jurejurando teneri: *Jurata lingua est, mente juravi nihil ; ut est apud Euripidem. Sciat quisquis ob juramentum injusti aliquid molitur* (idem esto judicium, si quis ob aliam rationem putaverit ad rem turpem obligari, ac eatenus pariter molitur id,) *agere, non se jurisjurandi, (juris naturæ) observantem fore, sed potius everforem jurisjurandi, (juris naturæ) quod magna cura ac religione dignum est, ac quo honesta & recta sanciri solent. Addit enim culpam culpa juramento non recte facti, & quo abstinere satius fuerat, actum illegitimum. Quare ab injusta actione abstinens Deum veneretur, ut, quæ ipsi est maxime propria, misericordiam ipsi impertiat. Nam dupla eligere mala, cum parte altera exonerari possis, insatiabilis est furor & mentis inopia, verba sunt Philonis. Exemplum dari potest in Davide, qui Nabali pepercit, quem se occisurum juraverat 1. Sam. 25. v. 22. 33. & 34. Cicero simile ponit exemplum in voto Agamemnonis : Dionysius Halicarnassensis in conjuratione Decemvirorum de Republ. occupanda. Seneca :*

*Præstare fateor posse me tacitam fidem.*

*Si scelere careat : interim (i. e. juxta H. Grot. interdum) scelus est fides.*

*Pertinet huc illud Ambrosii lib. 3. de off. c. 12. quod male juratur, pejus præstatur : Miserabilis est necessitas, quæ parricidio solvitur. De aliis idem judicandum venit, ut proinde nemo ullo modo aliquem obligare possit contra id, quod jure naturæ jam determinatum erat, ut omitti deberet.*

§. XIX. Obstare tamen dictis, aliqua videntur.  
Sic

¶ c aliquis (1) in certo casu potest obligari, ut mortem appetat, ac oppetat potius, (quod videtur tamen esse malum turpe, adeoque moraliter ac absolute impossibile,) quam ut injustum quid admittat. Hinc *Arist. 3. Mor. Nicom. c. 1.* inquit: *Sunt nonnulla ejusmodi, ut fortasse nulla vi aut necessitate coacti ea agere debeamus, utque potius mors nobis sit oppetenda, gravissimique cruciatus perferendi.* Deinde obligari quis (2) potest ad homicidium, tanquam rem turpem, tum scilicet quando moderamen inculpatae tutelae locum obtinet. Insuper nonnunquam (3) obligatio datur ad moraliter impossibile, quando conscientia erronea, qua quis laborat, ipsum obligat ad malum turpe faciendum. V. g. persuasus nonnemo est certo, falso tamen, oportere se, quoties occasio tulerit, propriae utilitatis causa, proximum quibuscunque, turpissimis tamen modis, traducere, aut bona ejus auferre, ut aliis bene faciat. Sane iste homo in tali casu, sive agat contra dictamen conscientiae erroneae, sive secundum illud agat, semper necessario peccat: Illo modo peccat quia omittit quod iudicium intellectus practicum, utpote proxima regula voluntatis praescribit; voluntas autem iudicium intellectus sequi debet tanquam ducem suum, & hoc modo agere ut est ab intellectu propositum, ut adeo, qui agit contra conscientiam hanc, agat contra voluntatem Dei, quia, quodcunque conscientia dicit, dicit sub ratione voluntatis Dei; hoc vero modo peccat, quia id admittit, quod jure naturae pariter, ac divino non licebat. Enimvero argumentis istis in contrarium allatis facile occurri potest. Ad primum enim respondetur, negando, quod oppetere mortem, priusquam eligas malum turpe, sit moraliter impossibile, cum sit triste tantum malum: Prae malo autem turpi jure naturae eligendum est triste.

Sane jus naturæ prohibet quidem vim sibi inferre, vim tamen alienam dicto modo perferre non vetat. Unde homo, qui ausu proprio manus sibi violentas infert, graviter peccat. Qui vero mortem ac tristissima quæque citius perfert, quam peccatum morale agat, nullo modo peccat. Ad secundum respondetur itidem negando. Datur enim in tali casu occisio justa, imo debita; non ergo vocari homicidium poterit, quod non vocatur nisi occisio per se ac sua natura turpis, ac jure naturæ illicita. Sicut igitur, accurate loquendo, justam poenam capitalem, qua magistratus homicidam afficit, nemo dixerit homicidium, ita facile patet, quod non statim omnis occisio dicenda veniat homicidium. Ad tertium respondetur: Talismodi homo est in miserrimo statu, quamdiu errorem istum sua quadam culpa non deponit; obligatur vero non tam ad malum istud turpe faciendum, quam ad errorem exuendum. Igitur necessitas peccandi, quæ ipsi videtur incumbere, mere hypothetica est; posito enim, quod ipse nolit errorem abjicere, ad quem tamen deponendum obstrictus erat, peccat utrinque necessario, non peccaret autem, dummodo errorem vincibilem abjiceret.

§. XIX. Sunt qui putant, alio sensu ad impossibile moraliter, quod tale dicitur in ordine ad jus naturæ pro dictamine rectæ rationis sumtum, adhuc dari obligationem, i. e. necessitatem omittendi id, quod jure naturæ non licet. Nam ejusmodi quid ob intrinsecam turpitudinem omnino fugiendum jus naturæ dicitur; igitur effectus ejus formalis videtur esse obligatio naturalis omissionis. Exempli gratia: jus naturæ dicitur: *Ne furtum facito, ne adulterium committito, ne homicidium patrato*; igitur ad hæc impossibilia moraliter, scilicet, ad actum homicidii, adulterii, furti dari videtur obliga-

obligatio, i. e. necessitas talismodi actus turpissimos  
omittendi. Verum qui *ἀνπίθειαι* sectantur, ita loqui  
non amant. Sicut enim nemo dixerit, ad ipsum actum,  
v.g. homicidii, adulterii, furti, quenquam obligari, li-  
cet ad omissionem talis actus obligatio detur; ita  
nec putaverim, ad ipsum impossibile moraliter in ordi-  
ne ad jus naturæ obligationem esse posse, licet impossi-  
bile moraliter in ordine ad jus naturæ tale sit objectum  
actus ejus, seu omissionis illius, ad quam obligatio da-  
tur: Paucis: Minus recte dixeris, ad actum, v.g. ho-  
micidii dari obligationem; quo tamen non obstante  
rectissime dicitur, actum homicidii esse objectum actus  
ejus, scilicet omissionis, (sub actione quippe omissionem  
quoque actus comprehendit, *Thef. X.* diximus) ad quem  
datur obligatio. Igitur ad omissionem quidem actus  
moraliter illiciti obligati sumus; quis vero dixerit,  
ad actum moraliter illicitum nos obligari? Cum enim  
actus moraliter ac per se illicitus morali æstimatione  
simpliciter impossibilis sit ac maneat; certe nullo mo-  
do talis actus moraliter possibilis, licitus vel debitus fie-  
ri potest; fieret autem, si ad eundem obligatio esset:  
Contra cum ommissio actus moraliter illiciti morali æsti-  
matione sit possibilis, imo debita & necessaria; ideo ad  
talem omissionem, cujus objectum actus illicitus existit,  
omnino datur obligatio.

§. XX. Pertinet huc suo modo axioma *Docto-  
rum moralium: Præcepta juris naturalis negativa obli-  
gant semper & ad semper*, i. e. nunquam fieri potest,  
ut homo non obligetur ad omittenda ista, quæ jure  
naturæ sunt prohibita. Nullus enim dari potest casus,  
ubi qui homicidium commisit, adulterium patravit,  
dicere possit, non facturum fuisse, dummodo non neces-  
se fuit

fuiſſet id facere, & dummodo occaſionem habuiſſet id genus ſcelera omittendi. Nemo enim contra voluntatem peccat unquam, aut peccare poteſt. Et bono viro omnia tormentorum genera ac mors demum atrociffima ſubeunda potius eſt, quam nefarium quippiam agendum. Hinc ridicula illa ſunt, quæ *Alcmaonem* illum *Euripidis* impulerunt, ut matrem interficeret. Nam, ut *Euripides* refert, interfecit matrem hortante ac impellente *Amphiarao* patre. Sic enim apud *Eum* inquit *Alcmaon*:

*Nam tunc me ad iſtud incitavit maxime  
Facinus equeſtre vehiculum inſcendens pater,  
Thebas tumultu cum petebat bellico.*

Ex adverſo aliud *Moralistarum* axioma valet: *Præcepta juris naturalis affirmativa obligant ſemper, ſed non ad ſemper*, i.e. ſæpe fit ac fieri poteſt, ut homo hic & nunc non obligetur ad committenda iſta, quæ jure naturæ alias debita erant, ob defectum ſcilicet requiſitorum neceſſariorum. Sic obligatus es ad actum, verbi g. liberalitatis, ſed tum demum, quando tibi favet occaſio, ſi fuerit exempli cauſa, quod dare, & cui juſte dare poſſis; quod ſi externa requiſita defuerint, non transgreſſor ideo juris naturalis cenſendus es, quippe animum benefacien- di habes, dummodo facultas, ( loquimur de potentia phyſica ) voluntati reſponderet.

§. XXI. Deducimus porro ex ſupra dictis hanc conclu- ſionem: *Ad impoſſibile moraliter, quod tale eſt in ordine ad legem poſitivam divinam, nulla dari poteſt obligatio, quaſi ad illud agendum quiſpiam obſtrictus eſſe poſſet.* ( lo- quimur nimirū hic ruruſus absolute de obligatione, qua- tenus neceſſitatem notat commiſſionis; cur enim non poſſit accurate dici, ad actum ipſum elicitū dari obliga- tionem, quæ neceſſitatem omiſſionis notat, ex theſi, XIX. eſt



est videre.) Et quidem tum nulla dari potest obligatio ad tale quid faciendum, quatenus ista lex diuina (exempli causa in veteri fædere lex ceremonialis & forensis,) ex intentione Dei vim obligandi habet, dum ista voluntas Dei sit manifesto signo declarata fuit. Ita in *Vet. Test. judæi* à nemine poterant induci ad esum carnis suillæ; quippe isthoc lege sua Deus ipsis interdixerat; unde gestiebant multi extrema pati citius, quam legis hujus transgressione Deum offendere; id quod passim libri *Maccabaorum* testatum faciunt. Rationem asserti nostri in proclivi est adferre. Si enim supremus ac sapientissimus Dominus justissima & sanctissima voluntate sua tanquam fugiendū quid determinat, non potest non necessitas tale quid fugiendi exinde provenire, æque ac necessitas agendi quid hominibus incumbit, si quando idem Dominus ut faciendum ipsis præscribit. Hinc *vota Pontificiorum monastica*, utpote voluntati divinæ oppido contraria, nullam vim obligandi habere posse, certissimum evadit. Vid. *Apolog. A. Conf. de votis*, conf. *B. Dürrii Comp. Theol. mor. p. comm. Tit. de votis*.

§. XXII. Nec movere nos debet, quod videatur aliquando Deus suis ipsius legibus, juxta ac ipsi juri naturali, mutationem quandam ob novam obligationem intulisse. Huc trahi posset quod *Abrahamo* parricidium præcepisse legitur *Gen. 22. v. 2.* contra id, quod antea eundem jusserat in *Isaaco* sperare numerosissimam posteritatem; quod *Osee* itidem scortationem, *c. 1. v. 2.* Imo adulterium *c. 3. v. 1. seqq.* injunxisse dicitur; cujus facti tamen fæditatem tot illustribus scripturæ locis significaverat, ac tam turpe facinus prohibuerat; imo, quod *Israëlitas* jussit vasa aurea ac argentea *Ægyptiis* contra voluntatem ipsorum auferre, *Exod. 11. v. 2.* adeoque obligavit eos ad id faciendum, quod jure naturæ non tantum illicitum, sed ipse etiam alias satis superque ut vetitum determinarat. Verum singula ista facili negotio possunt dilui. Nam quando Deus obligavit mandato suo *Abrahamum* ad occidendum filium, eo ipso non statim parricidium aut homicidium ipsi præcepit. Quippe substantia hujus facti, quod homicidium audit, inter alias circumstantias multum perdet à circumstantia quomodo, quomodo scilicet homo homini vitam eri-

eripiat, num publica auctoritate, an vero privato ausu? jam quando cogitamus, quod Deus omnis vitæ humanæ Dominus sit, quid obstat, quo minus divina Majestas *Isaaco Abrahami* filio horam mortis indicere potuisset, eidemque salvo omni naturæ ac divino jure vitam eripere, ita quidem, ut sanctissimum Numen occidisset *Isaacum per Abrahamum*, sicque *Isaacus ab Abrahamo* non ut patre, non privato ausu, sed jussu & auctoritate supremi judicis ab Abrahamo ut justitiæ divinæ executore occisus fuisset, ceu docet rursus *maxime Reverendus atque excellentiss. Dn. D. Velthem* *Introduc. ad Grot. lib. 1. c. 1. p. 255.* Alias constat etiam, quod in eo probaverit tantum ac tentaverit Deus *Abrahamum*, sicut eventus satis lætus testatus fuit. Ex altera parte probabile quidem creditur multis, *Hoseam* jussu divino meretricem revera duxisse in uxorem, & spurios, sive ante conjugium partos, sive in conjugio, adulterio adhuc cum dedita esset uxor, ab ea habuisse; inde tamen non sequitur, talem actum ex parte Prophetæ malitiam quandam involuisse, quæ unice in uxorem adulteram præter *Hosæ* culpam recidebat, id quod clarius patet, si reputemus paulo cum ista meretrice comparari synagogam, cum spuris judæos, Deum cum *Hosæ*. Si quis dixerit, repugnare tamen bonis moribus ducere meretricem, respondetur, non tamen id circo intrinseca ratione turpe est. Sic nudum incedere, panem ex stercorebus coquere itidem contra bonos mores esse putatur; Deus tamen idem Prophetæ ad præfigurandum aliud quid præcepit. Cæterum *c. 3. Os. v. 1.* non putandum est, ac si Prophetæ jussus fuerit adulterium cum aliena uxore committere, sed vero videtur similis, per meretricem intelligi ipsam *Oseæ* uxorem, quæ primo capite scortum, tertio vero, quoniam discesserat à Prophetæ, & cum aliis confveerat, adultera dicitur. Huic pecuniam ac alia dona dedit, ut ab aliis eandem rursus abstraheret: At hoc rursus in Prophetæ nihil certe turpitudinis arguit, quæ omnis in uxorem ejus adulteram, cujus simillima synagoga judaica existebat, redundat. Tandem cum Deus jusset *Israëlitas* vasa aurea & argentea *Ægyptiis* auferre, hoc ipso non præcepit iisdem furtum, sed Deus tantum mutavit objectum in compensationem laborum, quos *Israelitæ* in *Ægypto* exantlaverant. Scilicet Deus, utpote supremus ac absolutus omnium Dominus pro jure suo supereminente justissime efficiebat, ut objectum hæctenus alienum (nempe vasa *Ægyptiorum*) nunc fieret *Israelitarum* proprium, vi donationis *Judæis* à Deo factæ. Igitur *Israelitæ* jubebantur

tur

etur non auferre alienum quid, sed proprium, quippe à Deo ipsis donatum. Sicut ergo justus cujusdam rei (verbi gratia, fundi) Dominus justissimo titulo id, quod alicui ad tempus bona fide possidendum ex mera liberalitate sine pretio reliquit, pro arbitrio suo ab ipso repetit, alique forte itidem promittit; simili modo quando Deus supremus ac justissimus in compensationem laborum ac mercedis ab Ægyptiis denegata jusit *Israëlitas* vasa Ægyptiorum, quorum Ægyptii hactenus, Deo sic volente, bonæ fidei tantum possessores, non autem Domini extiterant, jure donationis divinæ, ac vi quasi sententiæ judicariæ accipere, non injusta præcepit, sed justissima.

§. XXIII. Assertum nunc aliud, pro meliori rei intellectu adjungamus: *Ad impossibile, quod tale dicitur in ordine ad legem positivam, eamque humanam, nulla datur obligatio seu necessitas agendi id, quod superior qua talis prohibuit.* Fortasse huc non incongrue retuleris, quod 2. *Sam. 18. v. 12.* habetur. Potest enim superior qua talis voluntate sua cognita, ad rem quæ non est intrinsecus turpis, omnino inferiorem obligare. Vid. *Thef. 14. & 15.* Quæ tamen cum ista limitatione ac restrictione vera sunt, si talismodi lex vel etiam interdictum naturali ac divino juri non adversetur. Alias ad tale impossibile omnino dari potest obligatio seu necessitas commissionis, si scilicet lex talis positiva prohibeat, quod tamen lege naturæ vel divina præscriptum erat. Homo enim, licet supremam in terris potestatem habeat, est tamen Deo subiectus omnium supremo Domino. Unde voluntate sua homo nequit determinare quicquam contra id, quod jam lege naturæ aut divina determinatum erat. Quid? quod obedientia legi positivæ humanæ præstanda dicat tantum actum extrinsecæ moralem, non ergo præjudicare valebit moralitati intrinsecæ ac naturali. Obtinet ergo in tali passu, quod Synedrio Hierosolymitano contra mandatum Dei præcipienti *Petrus* sufficientissimæ responsionis loco opponebat: *οὐδὲν ἄνθρωποις. Act. 5. v. 29.* Hinc justissimo titulo susque deque habito *Regis Pharaonis* mandato infantes recens natos *Israelitarum* occidere obstetricibus, Dei majestatem reveritis, religio fuit; quæ res simul ipsis insigni cessisse bono legitur *Exod. 1. v. 15. seqq.*

§. XXIV. Ex eo, quod *Thesi* proxime præcedenti attulimus, judicium ferri potest de hac quæstione: *An, & quousque pater filium, servum Dominus, certa que ratione unus homo seipsum, item gentes se*



invicem obligare; & num ad id, quod determinatur ab hie. c. ut faciendum, nihilominus necessitas omittendi, ad id, quod determinatur ut omittendum, necessitas faciendi certo respectu dari possit? Nimirum si in tali casu determinetur quiddam ut faciendum vel fugiendum, quod juri neq; naturali, neq; divino, directe vel indirecte dissentaneum, omnino agere contra id, quod justomodo sic præscriptum ac determinatum fuit, moraliter postmodum impossibile censendum est, ac eatenus ad tale impossibile nulla datur obligatio. Pulcherrimum ac notatu dignum credimus, quod de *Rechabitis* relatum legitur, qui mandato patris inducti adeo non patiebantur sibi persuaderi vini vel modicum usum, ut etiam Prophetæ jeremiæ vinum apponenti & quasi propinanti responderent intrepide, Vinum non bibituros, idque juxta mandatum patris sui: Et quidem adeo non displicebat Deo id *Rechabitarum* factum, ut etiam exinde viros tribus *Juda* utpote obsequium patri cælesti debitum denegantes, summæ impietatis convinceret, ac pudore quasi suffunderet, *Rechabitis* vero in præmium gratuitum præstitæ parenti obedientiæ bona, multa promitteret, *jerem. 35*. Quod si vero id determinetur in tali passu ut faciendum, vel fugiendum, quod turpe erat, ad tale quid eligendum nulla datur obligatio sed datur obligatio ad idem recusandum ac respuendum. Quod enim turpe est, illicitum est, ergo nullam parere obligationem valet. Tunc ergo ad id, quod verbi g. pater vel dominus prohibuerat, hac quæratione, moraliter impossibile videbatur, datur omnino obligatio, seu necessitas committendi; Deo enim, Aucto iuris naturæ, magis obediendum, quam hominibus.

§. XXV. Habemus etiam asserti exceptione forte majoris loco hoc conclusum: *Ad impossibile physice simpliciter ac absolute tale, physica ac moralis ratione, nulla est obligatio, seu necessitas agendi.* Necessitas enim moralis non potest non supponere libertatem physicam, vi cuius, positis omnibus ad agendum prærequisitis agens liberum potest agere æque ac non agere. At quod physice simpliciter est impossibile non simul potest fieri ac non fieri, sed necessario in ordine ad tale agens non potest fieri, adeoque; respectu ejus dari libertatem physicam, repugnat. Et quomodo, quæso, necessitas inducetur alicui ad faciendum quid, quod plane non valet efficere? sane sic necessario tenebitur id facere, quod nec faciet unquam, nec poterit facere. Concinne ac solide *Hugo Grotius* ad quæstionem de tali obligatione respondet: *Respondere nihil attinet de impossibilibus. Satis enim manifestum est, ad omnino impossibile*  
nemi-

*neminem obligari, de jure B. ac P. 2. 13. 8.* Igitur habent, quo se excusent, si qui adguntur ad tale quid faciendum, quod ipsorum viribus nullo modo respondet. Nec putaverimus aliquando primo intuitu, hoc vel illud esse impossibile, quod si penitus consideremus, est omnino. Huc pertinent vexati casus, ubi positæ conditiones perpetuo in se recurrunt, adeoque exitum habere nullum queunt. Exempli gratia: *Promisit jurato Titius, se Cajo daturum centum Joachimicos, si eidem dederit totidem Sempronius: Sed & jurato promisit Sempronius se centum Cajo daturum, si nihil omnino ipsi det Titius.* A quo non abludivit exemplum, quod itidem citat *Venerandus DN. D. Velthem ex Marciano § Cto: Si Titius heres erit, Sejus heres esto: si Sejus heres erit: Titius heres esto.* In quibus, cum nullus possit sperari exitus, cum semper implicent, nulla prodire potest obligatio.

§. XXVI. Aliter res habet, ubi impossibilitas propria culpa contracta, neque adeo absolute talis, obligationi obstat. Itaque *ad Impossibile physice secundum quid tale obligari quis potest, tum in primis, quando propria culpa sibi met ipsi attraxit impotentiam.* Habet enim tunc, quod imputet sibi soli, si quid propterea gravius in ipsum fuerit animadversum; & quia culpa in ipsum omnis redundat, cur præstanda præstare non possit, cum tamen valuisset præstare, modo voluisset; non voluit autem, quia potius id voluit, quod talem impotentiam causaturum norat, aut nosse debebat; igitur non meretur, absolvi à debito, sed poenas dare graves debet, quippe volenti non fit injuria. Faciamus e. g. aliquem Principem subdito cuidam ingentem pecuniæ summam dedisse mutuo, ipsamque multo post tempore rursus exigere; jam si hic dilapidaverit interea temporis omnem pecuniæ, neque ullo modo ad usus suos, quod voluerat tamen Princeps, transtulerit; in tali quidem casu solvere nequit, adhuc tamen solvere tenetur, & cum non habeat in ære, in corpore tamen luere cogitur. Sic quando quis erronea laborans conscientia faciendum esse putat, quod turpe tamen, impossibile quidem ipsi est non peccare; quia tamen culpa in ipso residet, obligatio ideo non expirat, sed adhuc obstrictus manet, ut id eligat, quod jus naturæ præscribit, adeoque id fugiat, cujus commissio peccatum

tum arguit. Ipse namq; in tam miserandum statum se detruxit, atq; non exuere studuit errorem, quem exuere tamen poterat ac debebat. Igitur ex hypothesi tantum ipsi est impossibile non peccare, posito, quod istum errorem vincibilem non deponat, aut deponere velit, cum possit ac debeat.

§. XXVII. Hæc, quæ in medium huc usq; allata sunt, majorem scenerari lucem credimus isti quæstioni: *An & cum homo etiam in statu lapsus teneatur legem, licet ultra posse sit, implere?* Nimirum homo peccator caret quidem viribus implendi legem, sed propria transgressoris culpa. Quippe integer à Deo conditus fuerat, & pulcherrimis dotibus ac viribus liberi arbitrii instructus, ita, ut, sicut par erat, omnino posset ac potuisset voluntati divinæ conformiter agere, vitamq; suam felicissime transigere, beatitatem tandem æternam in præmium gratuitum præstitæ creatori obedientiæ consecuturus. Constitutum vero à Deo sic erat, ut, si quidem homo non amisisset dotes hæc excellentissimas, propagaret etiam in posteros; at, quam primum à Deo defecturus esset, ipsum ac posteros destitutos viribus istis liberi arbitrii, ac dotibus exquisitissimis tristissimus exciperet lapsus ac miseriæ status. Ubi ergo miser homo transgressor legis factus impotentiam omnimodam in rebus spiritualibus sua culpa sibi attraxisset, expirabant penitus vires implendi legem, at non expirabat obligatio, ac debitum implendi legem: Quippe omnis culpa impotentiae attractæ redit in hominem, hic enim sibi imputet, cur non possit præstare, ad quod præstandum manet obligatus. (Interim hoc nihil derogat futuræ fidelium beatitati, quæ nihilominus per fidem in Christum Θεού Υιού indubitato obtinetur; non enim perfectionem & salutem in operibus quærimus, sed in merito Christi, quòd vera fide apprehensum Deo proponimus.) Cæterum frustra quis arguerit, hominem non debere legi naturali obsequium, quam servare nequit: Quippe suo ac sano sensu etiam

*ad impossibile datur ac dari potest  
obligatio.*

**F I N I S.**







ULB Halle

3


004 758 625



*Sb*

*VJ 17*





12509

Ni

1686, 33  
22

2. D. B. V.  
DISSERTATIO MORALIS  
DE

# OBLIGATIONE POSSIBILI AD REM IMPOSSIBILEM

*Quam*

CONSENTIENTE  
*AMPLISSIMA FACULTATE PHI-  
LOSOPHICA,*

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO *Ständer*/  
LAUDATÆ FACULT. ADJUNCTO,  
*examine doctorum submittet*

Auctor & Respondens

IOHANN. IOACHIM IACOBI,  
Brunsvigas Saxo.

IN FLORENTISSIMA SALANA  
Ad d. Mart. MDCLXXXVI.

JENÆ,  
Litteris NISIANIS.

